DE REMEDIORVM PVRGANTIVM ATQVE HORVM IN PRIMIS HELLEBORI IN MANIA FRVCTV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDE

BERNHARDO CHRISTIANO
OTTO,

PHILOS. ET MEDIC. DOCT. MEDIC. PROFESS. P. O. SOCIETAT. PATRIOT. OECONOM. SILES ET MARCH. PHYSIOGRAPH. LVNDENS. NATVR. SCRVTAT. BEROL. ATQVE HALENS. SODAL. ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. VI. IVNII MDCCCI.

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
GRADVM
LEGITIME CAPESSITVRVS
PVBLICE DISSERET

CAROLVS FRIDERICVS LVDOVICVS
ROSCHER
GENTHINO - MAGDEBVRGENSIS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

Frankfurt a/d. O.

VIRO

ILLVSTRI CONSVLTISSIMO
DOCTISSIMO

JOANNI MICHAELI
HINZ

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI

IN

RE BELLICA ET AERARIA CIRCVLI
JERICHOVIENSIS CONSILIARIO

FAVTORI ET AMICO SVO

HASCE

STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

D. D. D.

AVCTOR.

§. I.

Corporis ac mentis mirus conſenſus.

Viuere quidem magnum quid, at bene viuere melius et optabilius eſt. Bene autem viuit, qui integra ſanitate exſtructus munia et corporis et animi probe exercet. Quamquam enim ingenio ſaepe pollet, cuius corpori natura parum proſpexit; vtriusque tamen ſumme et impendio magis ſanitas optanda eſt. Tantus enim vtriusque eſt conſenſus, vt alterum non niſi alterius auxilio perſtare atque vigere queat. Hinc mentis idonea exercitatio functionum vitalium proinde ac naturalium energiam atque corporis motio ingenii vires ſuſtentat. Horum autem neutrum citra ſanitatis iacturam vel modum excedere vel negligi poteſt. Qui igitur nulli negotio intenti ſoli ventri viuunt, hos demum et mente et corpore impotes,

immo

immo fatuos faepe fieri cernimus. Itemque grauiffimis concatenatisque laboribus fracti mentis hebetudinem fentiunt. Contra qui corporis fui immemores interdiu noctuque toti funt in litteris et cogitatione, horum omnis tandem vis quafi in cerebro colligitur in fraudem aliorum organorum, eorum maxime, quae digeftionis et chylificationis praefunt muneri. Quid obftat, quominus hepatis, ventriculi atque inteftinorum paffiones in animum ipfum redundent? Quid mirum igitur, fi hYpochondriae in litteratis tam multa nobis occurrunt exempla? Etenim eorum, quae hominem efficiunt, integritas quam maxime in virium aequilibrio confiftit, cuius feruandae alterna corporis et mentis requie curam nos agere oportet.

Idem confenfus porro euadit ex animi pathematum et valetudinis ratione comparata. Quantum enim gaudium atque animi aequitas conferunt ad corporis falutem tuendam, tantum haec ipfa in mentem valent. Neque noui quid eft, quos laefa digeftio atque viscerum abdominalium obftructiones per longum tempus male habuerint, horum demum mentem perturbari perinde ac illorum qui curis, moerore et inui-

inuidia exagitantur. Immo nulla fere datur corporis affectio, quae non in animum redundaret.

§. II.

Viscerum abdominis atque cerebri conſenſus circa maniae progeniem momentaneus.

Quamquam igitur nouiſſime Cl. HARPER *) aſſeruerit, *maniam* tantum a cauſſis immaterialibus oriri poſſe, omnium tamen ſeculorum fidae obſeruationes huius viri ſententiae contradicunt. Quae enim ſi vera eſſet, ad morbum curandum minus opus fore remediis aluum ducentibus aliisque, in corpus proxime agentibus, ſed potius ab immaterialibus, id eſt a ſermonibus, qui mentem corrigunt, auxilium petendum eſſe, ſequeretur. Contra autem, cum pro arctiſſi-

*) *Abhandlung über die Urſache und Heilung des Wahnſinns, überſetzt von* CONSBRVCH, 1798.

arctiſſimo cerebri, ſenſorii communis receptaculi, atque reliquarum partium connubio nulla exiſtat mentis operatio, quae non corpus quoque attingeret, nullum ſubeſt dubium, quamlibet maniae ſpeciem nonnihil corporeae mutationis vel ſupponere vel inducere. Vltra inprimis, quam quod oratione comprehendi poſſet, cerebri atque ventriculi eſt conſenſus, quem vomitus capitis commotionibus tam facile ſuperuenientes, itemque a ſordibus gaſtricis dolor ortus circa frontem atque turbatae mentis functiones ſatis declarant. Ex eadem cauſſa famis diuturnae cruciatus teſte GALENO ſatis eſſe ad veſaniam procreandam, contra poſt tempeſtiuam abſtinentiam, quam CELSVS *) commendat, atque nauſeam longam animo deſipientes ſaepe ad ſe rediiſſe, notum eſt. Quantum porro et venena narcotica, per os ingeſta, in cerebrum valeant, quis eſt, quem fugiat? Nec minus inteſtinorum ratio ad animi morbos contribuere videtur. Immo vermes inteſtinales et obſtructiones aluinae, ni maniam producunt, longiorem

*) De med. lib. III. cap. 18.

rem tamen eam reddere, curationes oſtendunt. Idem valet de visceribus chylopoieticis, quae tum ob magnos, quibuscum cohaerent, neruorum plexus, cum ob functionum ſuarum dignitatem haud exiguam in totum corpus ideoque vel in cerebrum habent poteſtatem. Ex horum incitatione anomala, vt in hepatis morbis longis euenire ſolet, prauos gigni humores, morbum ſaltim augentes, rationi haud contrarium eſt. Hinc illa veterum atra bilis, quandoque ignorantiae riſum mouens, tanquam melancholiae effectus atque maioris inſaniae ſcaturigo e finibus artis noſtrae nequaquam proſcribenda eſſe videtur. Neque credere licet, antiquiores viros, dum huiuscemodi humorem ſtatuerint, praeſumta opinione ductos eſſe, ſed potius eam, quae ex morbi ſequelis diligenter atque ingenioſe perluſtratis euaſit, ſignificationem ſincere tradere voluiſſe. Id quod nudae veritatis ſtudium tanto maiorem meretur laudem, quanto magis vel hodiedum conveniamus oportet in hac ipſa re. Si enim, miſſo atrae bilis nomine, ea curioſe perpendimus, quae in mania melancholica obueniunt (aegrotantium videlicet ſanguinem ob carbonici in eo abundantiam ferme atrum ſolitoque ſpiſſiorem, nec non corporis

corporis habitum pallidum atque icteritium inueniri); nemo dubitabit, quin in his corporibus quam maxime ad viſcerum abdominalium functiones laeſas reſpici debeat.

§ III.

Vteri in cerebrum poteſtas.

Vt autem aliorum viſcerum, ſic vteri quoque functiones turbatae magnam in cerebrum habent poteſtatem. Hoc iam interdum videre licet in pubescentibus, de quibus et noſtra aetate ſaepe valet illud Hippocratis; *morbi circa caput et viris et muliebribus vehementiſſimi ſunt, maxime cum menſes appetunt.* Quem locum non ſolum de capitis doloribus intelligendum eſſe putarem; etenim paullo poſt additur: *verum affectiones atrabilariae his minus, quam viris, niſi menſes omnino aboleantur.* — Similia edocemur in grauiditate, qua durante ſaepe turbida inſomnia mentisque a vagis imaginibus perculſiones, timores, pauores naſci, quis eſt, quin viderit? Maior adhuc, quam quod credibile, eſt illa ſymptomatum

tum foetura in affectionibus vteri morbosis, praesertim menstruorum defectu et huic superueniente chlorosi, quae in melancholiam hystericam facile degenerans mortis appetitionem atque rerum desperationem creat. Vel deliriorum febrilium fontem haud raro in vteri functionibus laesis quaerendum esse, ex HIPPOCRATE *) discimus, cuius verba sunt: *Si virgini menses maturi non proueniunt, multum et febrit, et dolet, et esurit, et vomit, et furit, et rursus resipiscit.* — Eodem quoque loco haberi debet mensium suppressio; namque caussarum permultae, vt ira vehemens, terror, curae, euacuationes omnis generis immodicae, exanthemata retropulsa etc., quibus in aliis fluxum muliebrem interpellari videmus, in aliis ad animi neruorumque morbos producendos satagunt, vt ideo menstruorum suppressio et huic superueniens insania non raro vni tribuenda sit caussae. Quodsi dein digestionem laesam, congestiones, infarctus, obstructiones, chlorosin, hysteriam aliasque plures, quae ex mensium defectu vulgo prodire solent, respicimus

*) Lib. de superfoetatione.

mus aegritudines, ſatis momentaneas ad mentis functiones perturbandas; nihil credere nos prohibet, ipſam maniam, licet forſan longiore ſpatio exacto, agmen claudere poſſe. Tanto maius capiti imminet periculum, ſi menſtrua loco incongruo apparentia ob falſam haemorrhagiae ſpeciem temere ſupprimuntur, praeſertim in febribus, in quibus quandoque morbum ſoluunt. Incautae, quam medicus male conſultus in ſimili caſu inſtituerat, venaeſectioni delirium ingens ſuperueniſſe BALLONIVS *) refert. Quamquam igitur non audiendi ſunt, qui menſtruorum ſuppreſſione plethoram naſci affirmant, in eo tamen conueniat oportet inter medicos, naturam non temere ab inſtituto ſuo eſſe reuocandam. Si enim, quod ſemel excludere inſtituit, per vnam partem excernere prohibetur, aliam molitur viam, magis incongruam. Id quod profecto non fieri ſolet ſine magnis congeſtionibus, tam corpori, quam animo infeſtis. Hinc illa antiquitatis opinio; furore implicari eas, quibus ſanguis colligeretur ad mammas. Quodſi autem haec congeſtio tanti eſt, vt inſaniam pro-

*) Conſil. medicinal. Lib. II. hiſt. 4.

producat, quanti potius illa, quae cerebrum ipſum offendit? — Quanta porro in feminis effrenatae libidinis, quas tamen viros vltro petere vel pudor, vel agnatorum vigilantia prohibet, vteri in cerebrum eſt poteſtas! Memorabile huius rei exemplum apud HIPPOCRATEM *) legitur: *Leonidae filiae naturam*, ibi traditur, *cum ad impetum incitaretur, auerſam eſſe, auerſam autem in iram excanduiſſe.* Quem quidem locum, cum της φυσεως nomine vterus audiat, de inſania ex vtero ſiue de furore vterino intelligendum eſſe, puto.

§. IV.

Medicinae aluum exonerantis in mania fructus.

In omnibus maniacis non tam aegro animo, quam corpori potius ſubueniendum eſſe, ex hactenus dictis ſatis elucet. Magis autem valent ad huius ſententiae veritatem ſtabiliendam pharmacorum ad mor-

*) Epid. lib. VII. ad finem.

morbum noftrum laudatorum effectus, quos non nifi corporis functiones laefas proxime corrigendo animo falutares fieri, conftat. Haud aliter profecto remediorum purgantium, quibus in mania nullam medicinam anteponerem, virtus comparata eft. Horum quidem medicaminum vfum iam ideo fana fuadet ratio, quoniam ex defipientibus vix vllum videris, quem non vna male haberet pertinax alui obftructio, noua fane et haud contemnenda morbi perdurantis cauffa. Cui in plurimis accedit magnus inteftinorum torpor, qui vix vlli medicinae locum faciens rem in peius vertit. Ob hanc folam cauffam te iam longe progreffum effe, puta, fi vnam purgationem expuliffe tibi contigit. Quantum ab hoc euacuationis genere, tanquam fenfibilitatis inteftinorum quodammodo reftitutae nota, fperandum fit, ex antiquiorum teftimoniis euincitur, qui melancholiam et maniam torminibus *) et dyfenteria fponte folutam effe, faepe obferuarunt. Vel in morbis aguatis natura medicatrix faepe eadem via vfa eft ad priftinam falutem refti-

*) Cf. Cels. de medic. lib. II. cap. 8.

restituendam. Sic in phrenitide epidemica, cuius historiam Cel. SARCONE *) litteris mandauit, *diarrhoeam spontaneam et facillime et felicissime morbum in plurimis soluisse*, traditur. Id quod tanto magis nostram attentionem meretur, cum longe Cel. MORGAGNI **) in simili morbo epidemico, e quo fere neminem euasisse vidit, feminam tamen quandam per multa, quae vltra quatriduum aluus effudit, grauissime olentia et ex atro rubescentia penitus liberatum vidit. Quodsi tandem ponderamus, quantum motus peristalticus celerior valeat ad aliorum viscerum, hepatis praesertim, functiones permutandas, tanto magis elucescit remediorum purgantium in mania fructus. Cum autem in his helleborus primum locum obtinere videatur, de hoc praesertim agere mecum constitui.

*) *Geschichte der Krankh. zu Neapel.* §. 537.

**) De causs. et sedib. morbor. Ep. VII. art. 12.

§. V.

§. V.

Quanti habitus fuerit helleborus apud antiquos.

Helleborum antiquitus plurimum fuiſſe ad leuanda mentis vitia, iam ex adagio πιθ' ἐλλέβορον apud ARISTOPHANEM, quo dicto inſaniae quempiam ſignificat, cognoſci poteſt. Porro apud GELLIVM *) legimus; CARNEADEM academicum, aduerſus Stoici ZENONIS libros ſcripturum, ſuperiores corporis partes helleboro purgaſſe, ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus ad domicilia vsque animi redundaret et conſtantiam vigoremque mentis labefaceret. Quanti porro remedium noſtrum habitum fuerit apud Romanos, iam euadit ex trito illo; *nauiga ad Anticyram*, quo ſtultos et inepte loquentes facete compellare ſolebant Romani. Eſt autem Anticyra, ad quam HORATIVS **), alludit, Archipelagi inſula, in qua ex plurimorum auctorum teſtimonio ingens hellebori copia naſcitur.

§. VI.

*) Noct. attic. cap. 15. lib. VI.

**) Satyr. 3. Lib. II. verſ. 77. ſeqq.

§. VI.

Hellebori variae ſpecies officinales.

Plures dari, quae vſui medico inſerviunt, hellebori ſpecies, ex rei herbariae ſcriptoribus ediſcitur. Quaenam vero ex his veterum plauſum maxime tulerit, cum neque celeberrimorum virorum, in quibus praeſertim Lorry atque Schvlz commemorari debent, experimentis therapeuticis, neque Tovrnefortii, ſuſceptis per Graeciam itineribus explorari potuerit, forte in perpetuum nos praeteribit. Tanta hodiedum in hac re extat ſententiarum conflictus, vt a veritate enucleanda manum remouere oporteat tironem in arte medica. Attamen praeteriri nequit, climatis atque ſoli rationem diuerſam multum conferre ad remediorum ex regno vegetabili deſumtorum qualitates et virtutes immutandas. Idcirco non mirum cuipiam videbitur, ſi helleborus noſter illi, quem Graecia protulit, non in omnibus reſpondeat, vtique ſi in hortis colitur.

Ex iis autem hellebori ſpeciebus, quae prae ceteris in vſum medicinalem conuer-

tuntur, *nigrum* modo et *album* ſic dictum nominaſſe ſufficiat, vt quae maxime finem exoptatum attingere videntur.

Helleborus albus (veratrum album Linn. *) in Ruſſia, Sibiria, Auſtria, Heluetia, Italia, Hiſpania et Graecia naſcitur. Eſt autem planta e regno polygamiae monoeciae, ſcapo nudo, foliis magnis oualibus, ſeſſilibus, glabris, flore vulgo ſubuiridi, ex petalis ſex irregularibus compoſito, interdum quoque albicante, purpureo vel nigricante. **) Radix, quae ſola vſui medicinali inſeruit, eſt nodoſa, oblonga, magnitudine nucis myriſticae, extrinſecus cinerea, intus alba, ſapore amaro acerrimoque,

*) Vid. Herbarium Blackwellian. emendat. et auct. Norimb. 1757. Tab. 74.

**) Quamquam Lobelivs et Myntingivs florem album a ſubuiridi, Io. Bavhinvs vero nigrum et purpureum ab atro rubente, tanquam ſpecies peculiares diſtinguunt, plurimi tamen auctores huius differentiae nullum fecere mentionem, rati videlicet, coloris varietatem tantum cauſſis accidentalibus eſſe tribuendam.

que, odore ferme nullo diſtincta. Eiusdem ſucco expreſſo tanta ineſt acrimonia, vt huius aliquid in vulnera delatum mortem inferat. *) Hanc ob rem olim Hispani, venatum ituri, ad venenandas ſagittas illo vſi eſſe dicuntur. Interne datus et vomitum et purgationem valentiſſimam efficit. Interdum autem idem effectus tam plenus eſt terroris ac peruicacioris periculi, vt iam doſis aliquot granorum in quibusdam hyperemeſin, conuulſiones vel ſedes cruentas faciat. Aſt hanc vim violentam additis acidis frangi poſſe, medicis iam dudum innotuit. Hanc ob rem FERNELIVS, corticem radicis cum vino infundendum et dein porrigendum eſſe, ſcribit. Eadem mente CONRADVM GESNERVM oxymel exinde praeparaſſe, legimus. Aliis tinctura magis probatur, quae ad viginti trigintaue guttulas propinata iam ſatis aluum purgat. Vtrum vero haec pharmaci noſtri ſpecies eadem fuerit, quam HIPPOCRATES, DIOSCORIDES, CELSVS atque omnium maxime ARETAEVS ſibi habuerunt commendatiſſi-

 mam,

*) V. philoſophical transactions etc. Vol. XLVII. p. 81.

mam, neque veterum mancis descriptionibus, neque recentiorum indefessa opera diligentiaque euinci vnquam poterit, vtpote cum vel ex his alios a floris colore, charactere pro climatis ac soli ratione admodum variabili incertoque, alios a radicis facie, quae itidem non vnius semper speciei esse solet, incana *albi* cognomen petiuisse constet. Hoc saltim ex collatis medicorum testimoniis euadit, eius, quae LINNAEO veratrum album audiebat, plantae virtutes longe postponendas esse illis, quas in eiusdem nominis pharmaco ARETAEVS *) ad coelum vsque extulit.

Helleborus autem *niger* s. *veratrum nigrum* DODONAEI (al. Melampodium**), montium Pyrenaeorum atque Apenninorum incola, ad vegetabilium eam, quae polyandria polygynia a LINNAEO inscripta est, pertinet classem. Cuius quidem plantae truncus scapo subunifloro atque subnudo, interdum

*) De curatione diuturn. morb. Lib. II. c. XIII. sub finem.

**) Vid. Herbar. Blackwell. Tab. 505.

terdum bifloro, foliis pedatis atque flore roſeo gaudet. Radix nodoſus fibrillis longis, extrinſecus nigris, intus albidis, nullo odore, at ſapore nauſeoſo acerboque diſtinctis inſtructus eſt. Fibrillae tantum ſunt, quae a noſtris in vſum medicum convertuntur. Contra PAVLVS AEGINETA de ſuo eiusdem nominis pharmaco ſcribit; *cortice radicis tantum vtendum eſſe, rejecta parte interiore alba.* Quid formam huius remedii attinet, cum pulueris crudi vſus haud adeo tutum ſeſe exhibuerit, iam pridem alii infuſum aquoſum, alii vinum melampodii commendarunt. Quibus tamen extractum aquoſum palmam praeripere videtur; id quod vel ad grana quinque vsque viginti propinatum, vel ad drachmam dimidiam, et quod excedit, clysmatibus additum inſignes aluum purgandi, nec non vermes et ſanguinem, tam menſtruam quam haemorrhoidalem, propellendi exerit virtutes. Prae reliquis forma pilularum vſui interno idonea eſſe videtur. Hac enim ratione huius pharmaci in inteſtinis ſolutio ſucceſſiue perficitur, nec in tot puncta, nec tot particulis ſimul agere poteſt, cum e contrario id ipſum in forma fluida datum plura

puncta

puncta tangens vehementius citiusque agat *).

§ VII.

Hellebori nigri virtutes ſpeciatim conſideratae.

Etſi nos praeterit, qualis radix, ab helleboro κατ' ἐξοχὴν vocata, veterum maxime promeruerit laudem **); his tamen

*) Cf. E Ant. Nicolai ſyſt. mat. med. T. I. p. 164 ſeqq.

**) Ceterum nobis perſuaſum eſt, eam plantam, cui a nonnullis *hellebori* HIPPOCRATIS, ab aliis rectius Pſeudohellebori nomen tributum eſt, quamque Cel. TOVRNEFORT ſub ranunculi genere comprehendit, ob ſummam floris fructusque diſſimilitudinem nullatenus hellebori generi, prout etiam ob defectum ſquamularum nectariferarum nullo modo ranunculis adnumerari poſſe. Cf. Herbar. Blackwell. Tab. 504.

men plures eiusdem plantae ſpecies innotuiſſe reperimus. Praeter hanc autem, cuius priori loco mentionem feci, haud profecto minoris habita fuiſſe videtur, quae in Graecorum et Romanorum libris modo *melampodii*, modo *hellebori* ſiue *veratri nigri* nomine occurrit. Magna huius contra inſaniam virtus GALENI et PLINII, maxime tamen DIOSCORIDIS *) teſtimonio euincitur, qui primus curationis memorabilis, a paſtore Melampo in Praeti filiabus hellebori nigri ope peractae, memoriae prodidit exemplum. Tanta quidem inſania ceperat has puellas, vt in vaccas ſeſe transfigeratas eſſe ſibi perſuaderent. Vel AETIVS **) atque CELSVS ***) eiusdem nominis medicamini haud minores tribuerunt laudes. Ideo tamen eius, qui nobis officinalis eſt, *hellebori nigri* virtutes nequaquam parui ducere licet, quin potius veratro albo noſtro, remedio admodum ancipiti, praeferri debeat. Semper autem cauendum, ne huius loco *adonidis*

*) Theriac. Cap. III. p. 426.

**) Tetr. I. ſerm. 3. cap. 129 et 130.

***) Lib. de medic. III. cap. 18.

nidis vernalis, *actaeae ſpicatae*, *trollii Europaei*, *Aſtrantiae maioris*, *aconiti napelli* aliarumque id genus plantarum radices a pharmacopolis vel impoſtoribus inſciis ac inuitis nobis venundentur, quamquam et *helleboro nigro* ipſi ſoli, climatis et culturae diuerſitas largam facilemque faciei indolisque ſuae mutandae ſuppeditauerit occaſionem. Sic a nonnullis adhuc duae einsdem recenſentur ſpecies, quarum altera *) ab helleboro nigro non niſi quoad corollae colorem differt, quippe quae tum luteis, tum rubicundis venis varie picta conſpicitur; altera **) multo copioſiores fibras habet, quam vulgaris, et ab ea quoque differt corollae colore, venis virideſcentibus et roſeis pictae. Tandem quoque huc referri poteſt *Helleborus niger ſtyriacus* ***), flore viridi, caule multifloro et aequali folioſo, foliis digitatis radicalibus, caulem tandem ſuperantibus, cuius itidem plures exhibentur ſpecies. Hunc quidem

WE-

---

*) Vid. Herbar. Blackwell. Tab. 507.

**) Vid. ibid. tab. 508.

***) Vid. ibid. tab. 509.

WEDELIVS alteri flore roſeo antepoſuit, JOH. BAVHINVS vero eodem ſaltim habuit loco.

Magna autem *primo* huic medicamini vis ineſt tubum inteſtinalem atque viſcerum vicinorum vaſa, ea praeſertim, quae ſunt a ſyſtemate venae portarum, ad fortiorem reactionem ſtimulandi. Hanc quidem ob rem non ſolum prauis inteſtinorum contentis expellendis, ſed etiam, quod maioris eſſe videtur, obſtructionibus ac infarctibus, quae maniae vtplurimum antecedunt vel ſuperueniunt, ſoluendis egregie inſeruit. Maxime tamen iis conuenit, in quibus ingens viſcerum abdominalium torpor atque atonia obſtat, quominus cauſſae materiales, vel morbo priores, vel hoc ipſo natae leniori medicinae locum faciant; etenim tubi inteſtinalis ſenſibilitatem ſenſim reſtituendo, vel virium inter cerebrum aliasque partes aequilibrium; durante inſania ſublatum, maximam partem reſtituit. *Dein* quoque pharmacum noſtrum inſtar omnium draſticorum vim poſſidet vermifugam, quae ſola illud reddit ſaluberrimum in iis, quorum deſipientiam vel fecerunt, vel alunt fouentque vermes. Ob magnam tandem, qua pollet noſtra medicina, ſanguinem propellendi

lendi virtutem, multum praesertim valet in ea maniae specie, quae a menstruis suppressis vel retentis sumsit originem. Id quod mehercule iam DIOSCORIDI haud incognitum fuit, quem melampodii sui radicem pro suppositorio in iis adhibuisse traditur, quibus menses non bene responderent. E recentioribus Cel. MEAD hanc pharmaci nostri potestatem insigni exornauit encomio dicens: *Ex omnibus autem, quae menses maxime mouent, singularem virtutem habere deprehendi Helleborum nigrum, ita vt nunquam spem fefellisse meminerim.* Simili ratione huiusce viri magni commentator, CLIFTON WINTRINGHAM, de eodem remedio iudicat. Quantam autem menses non bene respondentes ad insaniam procreandam conferant symbolam, iam supra indicatum est.

Ob has omnes ac singulas virtutes *helleborus noster* in multis insaniae casibus pharmacorum nulli, ac ne ipsi quidem veterum helleboro postponendus esse videtur. Neque audiri merentur, qui nouam tutioremque medicinam inuenisse rati veterum illam, vsu semel comprobatam vel diffamant, vel saltim spernunt, quo-

quoniam *graciola*, *) *camphora* **) *incisiones****) in cranio, et quaecunque insuper contra insaniam commendata esse legimus, neque sola, neque tam saepe opem tulisse constat.

§. VIII.

Kali tartaricum, quatenus pro re nata helleboro aliisque purgantibus drasticis praeferri debeat.

Vt in cunctis morbis, sic in mania tam caussarum, quam corporis sedulo ponderari debet ratio, ne temerario hellebori alio-

*) BVCHOLZ in *Hufland. Journal der pract. Heilk.* 2. *B. S.* 142.

**) V. BAGLER ibid 1. *B.* 3. *St.* p. 435. *Cf.* AVENBRVGGER exper. nasc. de remed. specifico in Maria, Vindob. 1776. 8.

***) LOEFFLER apud Hufland. l. c. 4. B. 2. St. p. 227. Cf. CELS. Med. Lib. III. cap. 18.

aliorumue drasticorum vsu malum praesens in peius vertatur. Qui enim desipientes vna laborant corpore admodum sensibili, exsucco aridoque, his medicina drastica, audacter propinata, parum conuenit; qua enim ad summum vires conuelluntur, vt plerisque postea pernicies indelebilis, haud raro hydrops superueniat. Ad leniora potius, vbi magna vrget debilitas, medicamina confugiendum est. Hanc ob rem Cel. MVZELL, crebra obseruatione ductus, kali tartarico in mania tam insignes tribuit laudes. Hoc enim, cum nullam vim inferat tubo intestinali omnium, quae in dubiis maniae melancholicae casibus porrigi possunt, pharmacorum non solum tutissimum, sed etiam debilitati verae, forsan morbum continenti, prae ceteris idoneum est. Etsi nostra aetate plurimi calculum adiicere dubitant BOERHAVII atque HVXHAMI, virorum longe celeberrimorum, sententiae, qui sanguinis spissitudinem atrabilariam tartaro tartarisato, vti illis audiebat, solui rati sunt; hoc tamen verum est; hoc pharmaco dato tubum intestinalem atque per consensum viscera vicina ad functiones suas exercendas sensim stimulari, eoque longos hepatis aliorumque viscerum obstructiones ac infarctus egre-

egregie folui. Vtilis autem praefertim idem eft in mania melancholica iis, qui pallore, macie, habitu icteritio vel terreftri, alui obftructionibus atque ftomacho infirmo laborant. Recentiores hoc in cafu vel fortioribus emeticis, antiquiorum more, vel nauseam mouentibus faepe vfi funt. Cum autem in vera defcipientium debilitate ne iis quidem vomitionibus credendum fit, quae lenioribus medicamentis fiunt, multo magis hoc valet de valentiore medicina emetica, vt crebro vel inutili vel lethifera. Sub eadem rerum conditione naufeam mouentia, cum ferocia delirantibus admodum falutaria, non conueniunt, quippe horum continuato vfu ventriculi atque inteftinorum fenfibilitas adeo augetur, vt pofthac nullum relinquatur remedium, quod tuto ferri poffit.
